Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 461
Quelle:
Copyright:

eadem in hac vita atque gloria sempiterna. Nam in alia non ambigo, quin eadem beatitudo futura sit. Accipias igitur, oro, traductum in Eunomium opus magni illius Basilii et dignitate et studiis, quod neminem praeterit, tibi conjuncti. In quo etsi ipsius orationis gravitatem dignitatemque non praestitimus, rerum tamen integritatem et sententias non rustice fortasse latinis hominibus in tuam gloriam expressimus. Ad quam celebrandam non publicis modo tuis erga christianos meritis, sed etiam beneficiis privatis impulsi fatemur pervenisse. Quos labores nostros iterum atque iterum quaeso atque obsecro, ut ea, qua soles, benignitate accipias, nosque in tuorum familiarium numerum ex humanitate tua digneris ascribere. Sunt autem primum de divinitate Filii et Domini nostri Jesu Christi, deinde de divinitate Spiritus sancti, quae utraque Eunomiani platonicos secuti amentia sua oppugnabant.

Liber porro seu *Sermo* I. incipit: *Si omnes super quos dei ac saluatoris nostri Jesu christi nomen* &c. ut edit. *Maur. Paris.* 1721. T. I. p. 207. f. Emendatus est Textus a manu solerti, quae et notas complures marginibus adjecit. Ita sub finem L. II. ad verba *Eunomii* nobis *fol.* 45. p. 2. *Si e creaturis eleuetur aliquis ad substantie comprehensionem* &c. notatur: *G. Tra. platonicorum deliramenta sunt hec. qui a primo ideas secundo datas dicebant* &c. L. III. nobis *fol.* 49. p. 2. ad verba *Eunomii: Tertius et natura et ordine patris imperio: operatione vero filii factus* &c. adjicitur: *o Maledictum platonicum!* Quae si ab ipso, ut videtur, interprete profecta sunt, palam est insectationum, quas a Philosophi Patronis tulit, caussa. Liber IV. *fol.* 51. p. 2. *Prologum* habet itidem, ut opinor, a *Trapezuntio* profectum, qui inchoat: *In tribus superioribus libris Magnus Basilius firmiores Eunomij locos* &c. et in recentioribus Editionibus omissus, in antiquioribus v. g. *Wolfg. Musculi Basil.* 1565. p. 143. f. legitur. Liber V. nobis *fol.* 63. p. 2. simpliciter inscribitur: *De Spiritu Sancto*, habetque *fol.* 68. egregiam Notam de Schismate *Orientali*, quae concluditur: *Id tantum diximus, quoniam his etiam temporibus propter res temporales multiplicationem ecclesie abjici et quidem nostra cum uexatione videmus.* Quae eventus post Synodum *Florentinam* respicere videntur. Finis Operis: *Qui vero domino adheret vnus spiritus est.*

II. *fol.* 89. sequitur: *Liber Beati Basilij contra Eunomium. Ad Amphilochium Episcopum Yconij de Spiritu Sancto a Georgio Trapezuntio traductus.* Verum et hic praecedit: *Ad Joannem Episcopum Quinque ecclesiensem Georgij Trapezuntii in traductionem librorum magni Basilii ad Amphilochium præfatio.* Est is celeber ille facillimae venae Poeta *Janus* dictus *Pannonius*,

patrium